



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB.BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy. 10.

DISQUISITIO ETHICO-NOMICA

*Principiis Gentium & Civilis Juris mixta*

DE

# JUDICIO MORUM,

QUAM

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI*

**DN. HENRICI COCCEJI,**

U. J. D. GENTIUM ET FEUDALIS JURIS IN  
ALMA ELECTORALI PALATINA UNIVERSITATE PRO-  
FESSORIS MAGNO ACUMINIS ET INDUSTRIÆ MERITO  
CELEBERRIMI PRÆCEPTORIS AC FAUTORIS SUI  
ÆVITERNUM COLENDI,

Moratae Eruditorum examinationi  
Horis Locoque Solitis

*Ad Diem 26 Aprilis,*

Submittit

**ALBERTUS GASPARIUS GEIER, Rt.**

Autor & Respondens.

*Quintilianus L. 5. Instit. 12. in fin.*

Nunquam hoc continget MALIS MORIBUS Regnum, ut,  
si quæ fecerint pretiosiora, faciant & bona.

**HEIDELBERGÆ,**

Literis SAMUELIS AMMONII, Acad. Typograph.

**ANNO M DC LXXIX,**

SACRÆ CÆSAREÆ MA-  
JESTATIS CONSILIARIO  
IMPERIALI AULICO  
SPLENDIDISSIMO

*Illustri & perquam Generoso  
Domino*

JOAN-ALBERTO  
PORTNERO à Theuren,  
Rerumpublicarum seculi nostri  
Phoenici, Susceptori suo Lustrico,  
Gratioso ac perpetim Suspiciendo,

DNN. Parenti Venerando,

Agnatis atque Gentilibus suis ex  
modestia Familiari sine ulla nomi-  
nationis titulorumve condecentium  
crusta undiq; Colendis, Honorandis,

*Hoc quicquid est primitiarum palestre Aca-  
demice in submissa μνημωσίου ac Gratiarum  
Templo debita veneratione*

Dat, Dicat, Consecrat,

A. C. G.



I. A. F.  
Ω.

## PROOEMIUM.

**R**omanis vetustioribus in antiquo more fuit positum, ne quem ante tempus in publicum admitterent, sed Reipublicæ aliisque gravioris momenti negotiis tractandis certam maturamque ætatem præscriberent, rati, regiminis frœna Juvenibus adhuc acerbiorum morum adaptare, perinde esse ac Cothurnum infanti, & solis currum Phaëthonti committere, cujus tamen rei

*Ardua prima via est, & quâ vix mane recentes  
Enituntur equi.*

Inde ergò, utpote Cultori Pythagorei silentii & non alia indecora forsan aut somnolenta ratione contigit, ut hætenus manus de tabula publicè teneretur, ætatis nempe imbecillioris meditatione, ac providâ Venerandi DN. PARENTIS, qua studiorum cursum regit, cura, quæ simul suasit, ut in præsentiarum quoque hac ipsa tractatione naturæ ordo intenderetur, & à facilioribus privatae domus sacris ac juribus nonnullis primitiæ exculti studii (publicæ jurisdictionis materiâ adhuc post tergum maturioris ætatis relictâ) inciperent, atque hoc ipso virgula Canonum rubra *de Clerico per saltum presumptuoso* evitaretur. Itaque omnis nostra disquisitio nunc in hoc

A

tantum

tantum incumbet, ut pluribus pateat: Annon inter pri-  
vatos quoque & in quibus aliqua veluti cujusdam Jurisdi-  
ctionis, seu Judicii species L. L. sit constituta, quo qui-  
libet Paterf. in mores eorum, qui subsunt potestati, animad-  
vertere possit? Deprehendi equidem, viam hujus rei in  
consideratione alicujus judicii moralis legum civilium ac ca-  
nonum decempeda subacti, nondum aliis ita tritam, sed fer-  
mè Thema intactum, non indignum tamen, cui nervi sa-  
gacioris perlustrationis pro captu aptarentur. Nec pudori  
erit fœminarum, juniorumve, aut servilibus moribus jura  
edifferere, de quibus integros tractatus conscribere olim ma-  
ximos Philosophos, & alios hodiè æquè non puduit nobi-  
scum memores illius lemmatis politici: τὸ αἰτεῖν τῶν μεταβολῶν  
πολιτικῶν τὸ μικρὸν ἐστίν. *Maximarum in Republ. mutationum cau-  
sam esse, PARVA NEGLIGERE. Aristot. lib. 5. Politicorum  
cap. 7. & 8.* Eo ergò quo fieri poterit compendio idiplum  
jam porrò videbimus.

## MEMBRUM I.

### De Judicio morum in genere & ratione subjecti.

§.1. **D**E subjecto tractationis nostræ nempe moribus, ni  
omnibus disciplinis practicis atque insuper in physicis  
quoque suo modo agitur. Nos pro nostri instituti  
ratione missa jam consideratione judicii morum physsi-  
ca atque politica, quamvis in Rebuspublicis non contemnendi u-  
sus, de quo consulendi post veteres *Æschacius Major in scrutinio  
ingeniorum, Scipio Claramontius in aureo Commentario de conjectandis  
animi motibus, & Joh. Barclay in Icone animorum*, cujus penli medi-  
tationem ut paulo latiore, Imperii nempe morum universalis ma-  
turiore

✿ (3) ✿

turiori ætatis articulo reservamus. hac vice subsistentes tantum in contemplatione iudicii morum Ethico-Nomico, idque propter individuos harum disciplinarum nexus, in quibus ubi desinit Ethicus, ibi incipit Iustus.

§. 2. Mores Ethicè considerati, juxta saniores Philosophiæ scholam, nobis sunt habitus animi & voluntatis exerciti in appetitu agente cum vel sine ratione consistentes; Unde illorum bonitas vel malitia virtus aut vitium prognascitur, de cujus rei veritate post Classicos Scholarum autores testatur *Wilhelmus Mechovius l. 4. Philos. Parænet. c. 1. & l. 5. c. 1.* Hinc Græcis quoque dicuntur ἤθη, consuetudines, quæ sunt hominum actus, quatenus sæpius iterantur frequentique usu facilitatem quandam & propensionem agendi induxerunt. Idem enim est sæpius agere, & assuetum esse, seu solere agere; unde morum & consuetudinis substantia consistit in actuum pluralitate atque frequentia *l. 1. voc. frequenter. l. 2. verb. ususque longævi. C. Quæ sit long. cons. l. 32. §. 1. voc. factus. l. 33. voc. diuturna. l. 38. voc. perpetuò de Legib.*

§. 3. Circa hos mores hominumve habitus exercitos actuales moderandos occupata est universa tum Ethica, tum Iustitia; illa quidem respectu ad se, unde sui cuique mores, conciliare fortunam, dicuntur *Cornel. Nepoti in vita Pomponii Attici*, hæc verò simul & præcipuè ad alios habitus, ista monstrat, hæc præcipit mores & habitus ad virtutum ac Iustitiæ normam dirigere, eo fine, ut facilitate & propensione exerciti agendi, juxta §. præc. homines proclives reddantur ad consecrationem virtutum & fugam vitiorum; quippe cum in his duobus polis tota sphaera felicitatis politicæ atque suprema illa Mundi Lex, SALUS POPULI, consistat: unde non præmiis tantum sed pœnis quoque habitus illi exerciti intra legum terminos coercerentur, juxta *Ulp. in l. 1. §. 1. de Just. & Jur.* Hinc etiam fit quod ipsæ virtutes ipsaque jura dicantur mores, item boni mores, *Sitten* & *Rechte* / *gute Sitten*: mores scilicet qui injunguntur, quibus uti debemus, non quibus homines vulgè uti solent quocunque naturæ impetu, cum scilicet non quid Romæ fiat, sed fieri debeat, attendendum sit. Estque hac formula nihil frequentius tam in Codice sacro, *Psalms 119. vers. 66.* quam jure Civ. *l. 9. l. 15. de Cond. Inst. l. 35. §. 1. l. 134. pr. de V. O. l. 15. §. 2. §. 5. §. 6. de Injur. l. 112. §. pen. de Legat. 1. l. 6. l. ult. C. de pact. & innumeris aliis, in quibus contra mores vel contra bonos mores*

fieri dicitur, quicquid contra leges fit: & in *l. 5. C. de Inst. & subst.* dicitur, cum boni mores id vetent. Unde & tota disciplina hæc dicitur moralis, ac ipsum jus definitur à *Grotio* facultas seu qualitas moralis, *l. 1. §. P. & B. c. 1. §. 3.*

§. 4. Cæterum maxima adhuc est differentia inter mores Ethicè seu respectu virtutis, & inter mores juridicè ac cum effectu juris spectatos, qualis sc. est inter ipsam virtutem & Justitiam: virtutes enim in rebus nostris exercemus, justitiam in alienis, quando quod aliorum est ipsis tribuimus, indeque tota atq; summa ejus ratio in eo est, ut suum cuique tribuatur. Sunt tamen in præceptis virtutum quoque nonnulla, quæ ad leges transferri solent, dum potestas circa res nostras, in quibus virtutem exercendam esse diximus, aut nobis aufertur aut restringitur, adeoque quodammodo jus alterius fit, quo suum cuique tribuendum. Qua ratione in nonnullis casibus ad gratitudinem, humanitatem, obedientiam &c. jure ac lege compellimur, etsi tantum virtutes sint, *arg. l. 6. §. 1. de agnos. & alend. lib. 1. 5. de jure patron. Nov. 78. c. 2. §. 2. §. 7. de donat. l. fin. C. de re voc. donat. Donell. 2. Comm. 17. & 14. Comm. 27. ibique Hilliger.* Nam quamvis ex Ethicis morum præceptis idè non præcisè obligentur homines, quia sunt doctrinæ non legum præcepta: quatenus tamen coercendi mores potestas jure & subordinationis naturalis lege certis personis tribuitur, & ita aliquod morum judicium in alios constituitur, eatenus ad jus pertinent, quo præcisè ad normam morum eorumque rectitudinis tenendam necessitate Juris ex regulis prudentiæ Architectonicæ civilis hoc imperantis compelli quis potest, juxta doctrinam *Stagyritæ 3. Politicor. & arg. l. 84. §. 1. de R. §. 1. 1. de pact. l. 26. §. 12. de condict. indeb. t. t. de obseq. parent. atque patron. præstandis.* Quam in rem egregia tradit *Joan. à Felden in Præfatione Analyseos Politicæ Aristotelicæ.*

## MEMBRUM II.

De judicio morum ratione prædicati & an privatis vel in privatos illud competat?

DE moribus tractationi nostræ subjectis prædicatur judicari, aut judicium, sive notio, cognitio cum facultate potestativa approbandi vel



di vel reprobandi, cujus definitio ex quaestione thematis nostri proœ-  
 miali abunde colligitur. Fit autem iudicii morum mentio in *l. 15. §. 1. in fin. verb. morum coërcitionem non habet. l. 39. verb. mores accusantibus sol. matrim. l. un. C. de repud. & iudicio morum sublato. l. un. §. 5. C. de rei ux. act. l. 5. princ. de pact. dot. verb. ne de moribus agatur.* Et no-  
 tum quoque est celebratissimum illud apud Romanos Censorum mu-  
 nus, qui à censendo vel arbitrando dicebantur, quòd summum eis ca-  
 stigandi civium privatos mores arbitrium statis temporibus competeret.  
 Unde populi Rom. moribus præesse, & præfecti morum, ac magi-  
 stri veteris disciplinæ & severitatis dicuntur *Ciceroni pro A. Cluent. mu-  
 nusq; illorum, magistra pudoris & modestiæ, severitas censoria eidem  
 Orat. in L. Pison. Et Liv. teste lib. 4. histor. c. 8:* Censura tanto incre-  
 mento aucta est, ut morum disciplinæque Romanæ penes eam regi-  
 men. Senatus equitumque centuriæ, decoris dedecorumque discrimen  
 sub ditione ejus magistratus: publicorum jus privatorumque locorum,  
 & vectigalia populi Rom. sub nutu atque arbitrio essent. Idque lege  
 Censoriâ cautum fuit his verbis: Censores populi cœlibes esse prohi-  
 bento, mores populi regunto, probrum in Senatu ne relinquunt &c.  
*Alex. ab Alex. Genial. diæ. lib. 3. c. 13.* ubi munus eorum speciatim ita  
 describit: Hi maximarum minimarumque rerum præcipuè circa mo-  
 rum disciplinam, cogitationem, animadversionemque habent. Nam  
 de juramento cognoscere & in perjuros animadvertere, epularum sum-  
 tus cohibere. Senatores legere & cooptare, summotis indignissimis &  
 honestissimis allectis: Principem senatus constituere, immeritosque  
 propter turpitudinem sordesque vitæ senatu vel tribu amovere, notis-  
 que & ignominiiis afficere, aut in Ceritum tabulas referre, etiam Ædi-  
 lem Quæstoremque: tum illos, qui agrum malè colerent, aut in cu-  
 rioso haberent, perditosque & profusos nepotes, parumque honestis  
 moribus viventes, aut verbis incivilibus loquentes, ærarios facere,  
 censoriæ potestatis erat: in quo id fuit servatum, ut motis à senatu no-  
 tas adscriberent & demerita notarent &c. Exempla lecti à Censoribus  
 Senatus & Constituti Principis Senatus sunt ap. *Liv. l. 27. c. 11. l. 40.  
 c. 52. & l. 41. c. pen. &c. Plutarchus quoque in Cat. Maj. de eorum  
 officio sic refert.* Neque enim vel matrimonium vel sobolis procrea-  
 tio vel quotidianus victus vel convivium cujusquam solum & liberum  
 indagine fuit: cumque longè sagaciùs ex his quàm ex publicis actioni-  
 bus mores hominum perspici putarentur, custodes & moderatores  
 correctoresque, ne quis ad voluptates deflecteret, vel excederet patria



& vetera instituta ; designabantur , eosque Censores appellabant.

§. 6. Incredible verò est, quantæ autoritatis hic magistratus Romanis olim fuerit, & quàm latè patuerit ejus potestas, inde ab infimis ac fœminis ad Principes usque Senatus, cum constituendi amovendique à Senatu arbitrio, extensa; ita ut sacra quædam & religiosa veneratio ejus omnibus insita videretur, quam constat quoque *Cicero Appio Censori lib. 3. ad fam. ep. ult.*: Hæc cum ad te scribebam, censorem jam te esse sperabam, eoque brevior est hæc epistola, & ut adversus magistrum morum, modestior. Neque fanè eam nisi clari illustresque post triumphos & consulatus expetebant, ut inquit *Alex. ab Alex. d. c. 13.* adeò ut magistratum ducemque nil magis ornare quàm censuram, dixerit *Plin. lib. 14. in Procem.* Unde & propter magnitudinem potestatis hic magistratus à populo summa ambitione contendebatur. *Cic. Or. 2. in Verrem.* idque vix aliunde illustrius apparet, quàm ex eo quod *Plutarchus in Paulo Emilio Macedone*, de hoc ipso Magno Imp. refert, ostensurus quàm carus ille actis tot triumphis peractisque tot egregiis facinoribus Populo Rom. esset: Illud (sc. quàm carus Populo esset hic Heros) declaravit P. R. cum inter alios honores contulit in eum censuræ dignitatem; qui magistratus omnium sanctissimus, magnæque est, cum in aliis tum in moribus regendis auctoritatis. Et in *M. Catone Maj. de Censura hæc affert*: Fastigium quoddam est hic magistratus honorum omnium, & quodammodo omnium in Republica actionum moderatio præfulgetque cum ingenti alia auctoritate, tum morum ac vitæ judicio: adeò ut, ceu idem refert *d. l.* ipsi quoque Catoni, acerrimo morum exactori summum hunc honorem ac magistratum inviderint nobilissimi quique. Denique quanta censuræ dignitas fuerit, apparuit inde quoque cum ipsi Principes Senatus, narrante *Liv. lib. 40. c. 46.* cum agmine Civitatis ad Censores, qui in campo ad aram Martis sellis curulibus confederant concordiam inter eos deprecaturi descenderent, & hac ad eos oratione uterentur: Non oblitum sumus, Censores, vos paulò antè ab universo populo Romano moribus nostris præpositos esse, & nos à vobis admoneri & regi, non vos à nobis debere. Et quid severius quàm quod Cornelium Rufinum, bis consulatu, bis dictaturâ functum ob solam luxuriæ notam à Censore Fabricio senatu motum refert *Gellius lib. 4. c. 8.*

§ *Valer. Max. lib. 2. c. 9.* Similiaque severitatum exempla passim apud Liv. occurrunt.

§ 7. Hinc ergo perspicere licet, quàm solliciti fuerint Romani quantamque curam habuerint morum rectè formandorum & retinendorum; tantam sanè ut nec in momentosissimis rebus majorem. Hodie verò in profligatissima hac ætate & morum face contaminatissima hoc similiave morum judicia omnium minimè aut frigidè saltem obtinent plerumque, & ubi longissimè à regula morum mores abeunt atque degenerant, ibi quàm minimè ad certam & æqualem regulam exiguntur, juxta vulgare;

*Dat veniam corvis vexat censura columbas:*

in tantum, ut magnus seculi nostri eruditi Vir H. G. inter alia paradoxa asserere non erubuerit, veræ Ecclesiæ notam ibi quærendam, ubi mores corruptissimi. Hinc non immerito exclamat *Oldendorp. in Lex. Jur.* quod nullus in Republica magistratus magis desiderari videatur quàm Censoris, cujus tamen ne umbra quidem extat, quod jam suo tempore conquestus *Juvenalis Satyr. 3.*

*Protinus ad censum, de moribus ultima fiet*

*Questio.*

Quamvis negandum non sit dari hodiernum quoque in Imperio nostro egregias *Imp. Electorum, statuum ac communitatum ordinationes politicas*, censorium munus explentes de ANNO 1548. 1577. uti & in *Palatinatu Electorali ac Wirtembergie Ducatu*, præsertimque *Venetis, Argentina, Noriberge, ac Genevæ Allobrogum*, cujus vices subit multis in locis modus scrutinii Ecclesiastici, notante id & alia plura ad hanc censuram facientia *Besoldo l. 2. Synops. politic. c. 6.* Nos verò misso hoc censorum judicio (de quo an Judicium dici debeat, frustra religiosus est *Cic. pro A. Cluent.*) id duntaxat hac dissertatione disquiremus, ane saltem privatis adhuc tale judicium animadvertendi in mores aliorum competat? Equidem Magnus ille *Hugo Grotius lib. 2. c. 20. § 3.* statuit, naturæ convenientissimum cuius homini innocenti competere jus puniendi fontem quod & ulterius deducit *d. c. 20. § 7.* verùm rectè ille refutatur à *Dn. Puffend. de Jur. Nat. l. 8. c. 3. § 7.* & § 10. nec non à *Dn. Ziegl. & Osiandro ad Grotium dict. loc.* commoda hac ratione, quod potestas pœnam dictandi sit pars imperii; quod homo in hominem promiscuè non habet. Quinimò potestas pœnarum refertur ad effectus legis in *l. 7. de legib.* ubi virtus legis dicitur, punire; adeoque eidem competit puniendū

niendi potestas cui & leges ferendi. Sed necesse non est isthuc recurri, cum sufficiat stabilicndæ nostræ sententiæ affirmativæ iudicii hujus privati ac domesticæ, illa ratio, quod nullus sit naturæ status, quem non ipsa natura imperio aliquo instruxerit saltem domestico & familiari: sine imperio, ait *Cic. lib. 3. de legib.* non domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum genus stare, nec rerum natura omnis nec ipse mundus durare potest: *idemque contra Grotium ex mente Thomæ Aquinatis, summ. 2da. 2da. q. 64. art. 3. prælaudatus Dn. Lucas Osiander in Annotat. ad Grot. dict. loc. th. 7. n. 3.*

§. 8. Afferimus igitur, illis in quorum potestate alii sunt positi, ac imprimis patris, in omnes illos, qui paterno vel alio domestico & singulari ipsius imperio coercentur ob morum perversitatem, non quidem ad infligendas pœnas atroces & capitales, uti olim quidem jure veteri vitæ ac necis *l. 11. de lib. & posth. l. ult. C. de patr. pot. l. 5. ad L. Pompei. de parricid. l. 13. 4. C. de patr. pot. l. unic. C. de emendat. propinquo.* sed modicæ castigationis jus competere, quod quidem domesticum morum iudicium in singulis speciebus plenius apparebit. Et hujus iudicii morum domestici certitudo quoque apprime constat ex collatione fontium juris naturalis gentium, divini & humani, ut præter alia inferius tradenda colligere est *ex can. duo nomina 35. XXIII. q. 35.* cujus hæc verba sunt: Huic officio (sc. correctionis, *Gloss. in d. c. 35.*) nominis invigilet disciplina, sicut cuique regenti apta & accommodata est. Non solum Episcopo regenti plebem suam, sed & pauperi regenti familiam suam, marito regenti conjugem suam, patri regenti prolem suam, iudici regenti provinciam suam, Regi regenti gentem suam. Hic ergo non minus domino in familiam, marito in conjugem ac patri in prolem, quoad coercionem morum potestas tribuitur, quam Episcopo, iudici, ac Regi in subditos. Hoc iudicium domesticum disertè quoque adstruitur *ex l. ult. C. an serv. pro suo fact. verb. domi eos conveni.* Ubi intelligitur conventio instar iudicii, quia convenire aliquem in jure dicitur, iudicio contra aliquem agere; & domestica conventio opponitur conventioni coram Præside, uti ex inspectione patet: quo eodem sensu *in l. 4. C. de patr. pot. controversia intra domum terminanda dicitur.* Et *in l. un. C. de emend. propinq.* graphicè id describitur, quod sit autoritas, quæ jure patrio

patrio corrigat propinqui juvenis erratum & privata animadversione compescat. Item quod sit jus domesticæ emendationis. Apertè autem in l. 71. pr. de Furt. dicitur, ideò patri actionem furti non proditam, quia ipse potest in furem, ceu filium, statuere. Unde ex d. l. ult. notat Bald. in d. l. n. 1. personam merè privatam in suos habere quandam Jurisdictionem per l. 11. in fin. de lib. & posth. C. 13. in fin. extr. de For. comp. adeò ut Innocent. in c. Quod super 8. extra de Vot. & idem Baldus in l. 1. n. 2. C. de Episc. & Cler. asserere non dubitent; quod à potestate patris in filium inceperit prima Jurisdictione mundi. Quò faciunt tradita Molina de J. & J. tr. 2. D. 22. n. 5. th. 28. Laymanni l. 5. Theolog. moral. tr. 10. part. 1. c. 2. & Philipp. Paschalis tractat. de effect. patr. potest.

§. 9. Tale ergò judicium morum competit præprimis patris. jure triplicis societatis domesticæ, cujus ipse caput est: nim. in uxorem, in filios, in servos ac mercenarios. Ut & iis quoque qui, instar parentum, moribus & educationi alicujus præfecti sunt, uti tutoribus & magistris: denique ipsi cognationi vel ejus senioribus in singulos cognatos minores casu sic ferente & exigente per l. 12. §. 3. ib. moribus pupilli præponatur. de administrat. & peric. tutor. l. 5. §. 3. ad L. Aquil. ac t. t. C. de emendat. propinq. id quod eadem fere ratione persequitur Bald. in d. l. 1. n. 2. & in quemvis de familia competere jus castigandi statuit Bart. in l. pen. §. ult. C. de repud. lit. a.

§. 10. Antequam autem de hoc ipso themate specialius agamus, disquirendum in genere est, quousque & ad quam pœnam judicium hoc morum extendi possit? Et quidem dictum jam est moderatam tantum castigationem esse permissam per text. expr. in d. l. 5. §. 3. & l. 6. ad L. Aquil. c. 35. princ. XXIII. q. 4. DN. Pufend. lib. 8. de jure nat. & gent. c. 3. §. 10. sed quibus limitibus illa moderatio definiatur dubii juris videtur: quippe quòd Canones, licet alioquin æquiores jure civili Romanorum, marito potestatem concedere videantur uxorem quoque vinculis & inediâ coërcendi. c. 10. XXXIII. q. 2. de quo cap. seq.

§. 11. Ita ergo hoc jure definitum existimandum; quòd in primis illæ pœnæ illaque judicia excludantur, quæ infamiam vel permanens damnum relinquunt, sive in bonis sive in corpore l. 26. pr. ubi Gothofred. de pœnis. Omnino enim notanda est differentia inter pœnas judicis & privati patris. Siquidem 1. in pœna judicis læsio etiam esse potest, in pœna privati tantum coërcitio; judex enim in vindictam quoque contentæ ac violatæ legis ejusque qui læsus est, satisfactionem

factionem ac pœnam decernit, quæ exercetur sœviendo iterum in corpus, famam, bona delinquentis: privatus autem tantum punit, ut mores emendet delinquentis, adeoque in hujus usum non perniciem. Repugnat autem sœvire in aliquem in proprium ipsius usum. 2. Atrocior vindicta judici committi potest, qui servato juris ordine ac processu cognoscere de causa tenetur; privatis non potest, qui propria autoritate sine justa cognitione juris levato velo castigant. His enim periculosum est graviores pœnas committere, quæ vel planè vel quodammodo sunt irreparabiles. 3. Per text. expr. in l. 7. §. 2. in fin. de Injur. ubi expressè emendationes & pulsationes leviores ad moderationem; flagra autem verbera & vulnera ad atrociorè castigationem referuntur. 4. Per l. 2. de his qui sui v. al. l. 8. §. ult. l. 9. ad L. Aquil. l. 3. §. 4. C. de patr. potest. ubi excluditur præter turpitudinem & infamiam quoque sœvitia atque vindicta, quippe quæ revera pœnam aliquam momentaneam ac domesticam non ingrediuntur, sed ad publicum iudicium spectant. 5. Per c. 10. XXXIII. q. 2. ubi non permittuntur remedia, quæ ad necem, vel cum sanitatis damno intentantur, sed reliqua tantum quæ saluti non nocent. Et cum hac sententia & definitione juris transit quoque Grot. d. c. 20. §. 10. in princ. ac Commentatores in eum passim.

§. 12. De verberibus tamen quæri potest, an ad moderatam hanc pœnam pertinere possint? Et quidem indubium est, quod in liberos, qui in potestate sunt, & servos famulosq; verberibus quoq; levioribus animadverti possit per l. 7. §. 2. §. 3. de Injur. ubi leviora verbera pulsationes dicuntur; talia sc. unde non vulnera & permanens damnum nec cicatrices, sed momentaneus tantummodo dolor procedit, facilè reparabilis l. 17. §. 1. de usufr. verb. nec cicatricibus deformare. Cum enim dolor ille solus non noceat sanitati aut integritati corporis, nulla inde gravior vindicta aut læsionis sœvitia inferri censetur. At in uxore ac matrefamil. regulariter secus videtur, tum quia illa socia quodammodo est vitæ & domina familiæ l. 1. de act. rer. amot. ex costa viri & non ejus calcaneo illi concreata atque juncta Genes. c. 2. vers. 22. tum quod verbera aliena sint ingenuis matronis, ut in casu uxoris dicitur in l. 8. §. 2. C. de repud. Quam sententiam approbant Donellus l. 3. comment. de jure Civ. c. 21. in fin. Tiraquellus l. 8. connub. gl. 1. part. 9. n. 225. cum seqq. Joannes Borcholt Consil. 16. q. 1. §. 4. Henr. Frederus Orat. 4. de pœnis uxoris, §. alii. Qualiter tamen & huic ex gravi causa quandoque plagæ ingeri possint dicitur infra §. 17. §. 18. Quinimò & species quædam temporariæ cujusdam relegationis in vim disciplinæ domesticæ exerceri à patref.

patres. haecenus potest, dum in domo vel fundo suo aut ergastulo publico, Zucht-Kassel-Spinnhaus / includere atque custodire eos, in quos morum coërcitionem habet, potest. l. 35. §. 5. de Her. Inst. verb. *Et quasi ad tempus relegatus. c. 10. XXXIII. q. 2. verb. custodiendi in domo sua.* vel etiam paterne jubere δημοσίωv ἀπέχεσθαι, id est publicis abstinere l. 9. §. 8. de poenis. Præterea quoque potestatis illius & coërcitionis effectus consistit in exheredatione liberorum ex causis Novell. 115. c. 5. expressis & iis similibus vel adhuc gravioribus, concordante Jure Electorali Palatino Provinciali, part. 3. Tit. 14. §. 4. versic. *Es wäre dann &c. ibi. und doch in seiner Eltern oder der Obrigkeit Willen und Straff sich wiederum ergeben / juncto §. 6. ibidem.*

### MEMBRUM III.

De speciali judicio morum veteri, quod maritus in uxorem habuit, sublato, aut adhuc integro vel etiam restituendo.

§. 13. **J**udicium morum maritale est vis ac potestas mariti in uxoris suæ vitam ac mores cum correctione ac coërcitione inde debita, arg. l. pen. C. de repud. *Et judic. mor. sublat. ac l. unic. §. 5. C. de rei ux. act.* & hoc judicio olim maritus partem dotis retinere poterat, sc. propter mores graviores, ob adulterium sextam, propter reliquos partem octavam. Ulp. fragm. t. 6. de dot. §. 9. adeoque haecenus etiam vindictam habuit hoc judicium: & tali ratione hæredi mariti non competebat per l. 15. §. 1. in fin. solut. matr. ubi de hærede mariti dicitur: *morum verò coërcitionem non habet.* §. 1. 7. de perp. *Et temp. act. l. pen. de in jus voc. l. 7. C. de rev. don.*

§. 14. Verùm hoc judicium postea sublato est à Justin. in d. l. pen. C. de repud. *Et judic. mor. subl. Et in l. un. §. 5. C. de rei ux. act.* Ratio autem abrogati illius morum judicii hæc fuit, quia Justin. Imp. certas definiverat causas, propter quas solas & divertere licebat & simul hoc ipso partem dotis retinere. Fuit ergò ut supervacaneum abrogatum, cum ex ipsis Imp. constitutionibus, sc. ex l. 8. *Et seqq. C. de repud.* facto divortio dos vel portio dotis retineri posset: ex iis autem causis, ex quibus

divortium non esset licitum, nec licita erat dotis retentio: atque hanc rationem abrogati morum iudicii, ut supervacui, ipse Imp. innuit in *d. l. un. §. 5. C. de rei ux. act. & d. l. pen. §. ult. C. de repud. ubi Dn. Brunemannus, Perez & alii Commentatores.*

§. 15. Sublatio itaque hæc atque abrogatio tantum trahenda est ad vindictam & retentionem dotis, non verò ad alias morum actiones, castigationes, coërcitiones ac iudicia marito vi potestatis maritalis competentia sequentibus rationibus: 1. Quia hactenus tantum abrogatum fuit, quatenus erat supervacaneum *juxta §. præc.* Erat autem supervacuum tantum quoad pœnam dotis, quæ sequebatur jus divortii, adeoque non opus erat eam ex speciali iudicio morum petere: non autem quoad alias morum coërcitiones, qui aliunde coërcendi remanent stante matrimonio. Unde simul patet, hanc domesticorum morum potestatem maritalem in personis publicis jurisdictione ordinaria ac mero imperio universim circumvallatis tanto magis præ privatis elucescere, argum. sc. communi à majoritate rationis ducto, nullo jure hactenus circa hoc mutato, & traditorum *Henningi Arnsæi de jure Connub. cap. 1. sect. 4. & G. B. Cellarii lib. 1. politic. c. 2. num. 29.* 2. Quia expresse tantum agitur in *d. l. un. §. 6. & d. l. pen. §. ult.* de retentione dotis; adeoque correctorium hoc jus, quod stricti juris est, *per vulg.* ad alia, ac præprimis jure publico & peculiari competentem marito actionem & correctionem morum uxoris extendi non debet, ne mutuo quidem conjugum assensu *per l. 5. pr. de pact. dotal.* quo non nisi malitiis domesticis fenestra aperiretur. 3. Superesse iudicium morum aliquod in uxorem patet quoque ex harmonia juris canonici *c. 39. VII. q. 1. verb. Alterius uxor nec judicari vel disponi, nisi à proprio viro, eo vivente non potest. &c.* Potest ergò judicari à suo viro. *c. 35. XXIII. q. 4.* ubi etiam marito pro modo suo perinde datur jus regendi uxorem ac iudici provinciam. *c. 10. XXXIII. q. 2.* ubi etiam vinculis & jejuniis eam coërcere permittitur: *verb. Placuit, ut, si quorumcunque Clericorum uxores peccaverint ne fortè licentiam peccandi plus habeant, accipiant mariti earum hanc potestatem, præter necem, custodiendi & ligandi in domo sua, ad jejunia salutaria non mortifera cogentes.* Et ita expresse dicitur in *add. Bart. in d. l. pen. §. fin. lit. a.* Sublatum est (iudicium sc. morum) quoad detractionem vel compensationem dotis, non quoad id ut vir possit illam male morigeratam castigare, sed moderatè.

§. 16. Quæritur autem an potestas illa in *d. c. 10.* Clericis concessa, etiam Laicis competat? Neg. id *gl. in d. c. 10.* quia nullibi circa hos constitutum, sed illis saltem, quibus ex ordine clericali minori (quales, qui sint, patet ex *tit. de cretal. de temp. ordinat. & qual. ordinand. & ext. t. extra. de*



*de Clericis conjugatis*) matrimonium permissum benignitate canonica singulari indultum. Verum nihil impedit, quin juxta *l. 13. de legib.* quoties lege unum vel alterum introductum bona occasione, cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem vel interpretatione vel certè jurisdictione suppleantur. Accedit quod & ratio moderatæ castigationis, de qua in §. 10. & 11. militet quoque in uxoribus Laicorum, quibus hac animadversione nullum damnum permanens infligitur, & loca de quibus in §. *præc. scil. d. c. 39. & d. c. 35.* generaliter loquantur, quod simpliciter maritus habeat potestatem judicandi & regendi suam uxorem; quæ verò esset potestas judicandi & regendi eam, aut quod remedium coërcendi mores ejus, si ne hoc quidem liceret, quod idè, quia momentanea ac transitoria ejus est pœna, mitissimum ac moderatissimum reputatur compellendi remedium? Et aliàs sine effectu ac inanis esset potestas mariti in uxorem ejusque mores, cui tam seriò leges eam & perinde ferè ac liberos parentibus subjiciunt, ut in *c. 12. XXXIII. q. 5.* dicitur: Est ordo naturalis in hominibus. ut serviant fœminæ viris, filii parentibus. Et in *c. 14. d. q. 5.* subditas fœminas viris & penè famulas lex esse voluit uxores. Unde etiam *Philosophus lib. 2. Oecon. c. 1.* censet viri mores pro lege impositos uxori, quamdiu nempe lex ipsa illis non refragatur *arg. l. 39. solut. matr.* Hinc quoque in *c. 17. d. q. 5.* dicitur constare, mulierem subiectam dominio viri esse. Mera autem verba hæc forent & inanes potestatis umbræ, si nullo marito competeret explicandæ potestatis, morumque coërcendi ratio & ne levissima quidem ea, de qua *d. c. 10.* aut alia gravior pro statu causæ.

§. 17. Ita ut de ulteriore quoque in casu necessitatis non ex lubricine sed moderate coërcendi, flagris sc. & fustibus, potestate, quicquid etiam supra citatus *Donellus* eum sequacibus contravelit, non sit jure dubitandum, quæ marito conceditur in *Nov. 117. c. 14.* ex causis sc. illis, ex quibus olim jure veteri Romano ac Justiniano, simul jam inter Christianos quoque recepto, matrimonium dissolvebatur, nusquam reclamante huic juri inducto Ecclesia illius temporis, quippe cui pietas ac Religio Sacratissimi Imp. Justiniani, nihil contra SS. Scripturam & Oecumenica concilia admissuri, ex rectitudine Legum latarum procul dubio satis nota erat; quæ causæ legitimæ divortii & repudii in *l. 8. §. 3. l. 10. C. de repud. & Nov. 22. c. 6. & 15.* studiose sunt expressæ, sc. si uxor sit adultera, venefica, homicida, plagiaria, si sepulcra dissolvat, ex sacris ædibus subtrahat, latronibus faveat, extraneos viros marito ignorante vel nolente frequentet, impudicè osculetur, ipso in vito sine proba-

probabili causa foras pernoctet, ludis publicis ipso prohibente interfit, ipsius vitæ insidietur, conscia sit machinationis in imperium, immisceat se crimini falsi, audaces manus ingerat, industria abortum faciat, commune cum viris lavacrum ingressa sit; aut alium de matrimonio compellaverit, de quibus divortii & repudii causis, demum supervenientis posteriore ævo juris Canonici autoritate ad unicam adulterii restrictis, pluribus post veteres agunt *Anton. Perez. Pacius, Zæsius, Corvinus, & Dn. Brunemannus ad d. tit. C. de repud. & Rittershusius in exposition. Novell. 22.*

§. 18. Unde simul, argumento à majore ad minus ducto, patet extra has causas marito quoque jus esse plagis mitioribus afficiendi uxorem propter leviolem perverſitatem morum: cum expresse idè atrociora saltem verbera, sc. quæ fustibus, flagris &c. sine causa facta, fiunt, improbentur in *d. Nov. 117. c. 14.* sub multa tertiæ partis donationis antenuptialis uxori ita pulsatæ addictæ, in locum repudii antea hac de causa permissi. *l. 8. §. 2. C. de repud.* propter reliqua verò, quæ modica sunt, & nihil atrocitatis habent, de injuria aliqua mulierem conqueri non posse in *d. c. 14.* statuatur. Unde quod dicitur in *d. l. 8. §. 2.* verbera ingenuis aliena esse, intelligendum de iis, quæ fiunt instrumentis servilibus, quæ propriè verbera dicuntur, ut apud *Virg. 3. Georg. vers. 106. Illa instant verbere torto: & 7. Aeneid. vers. 378. Torto volitans sub verbere turbo. l. 28. §. 2. de Poen. l. 12. de Jure fisc. ibique Gothofr.* nec non de immodicis & atrocioribus: alioquin constat duro nodo durum cuneum quærendum esse pro conservanda & tranquillitate familiæ, atque hac de causa in casu extremæ necessitatis etiam ingenuis plagas inferri posse *l. 7. §. 3. de Injur.* Quo etiam sensu non ineptè dicit Harpr.

*Nux, asinus, mulier simili sunt lege ligati,  
Hæc tria nil recte faciunt, si verbera cessent.*

*Ein Weib / ein Esel und ein Nuß /  
Man alle drey wohl schlagen muß /  
Dann wo man sie nicht brüglen thut  
So thut davon kein einzigs gut.*

Quamquam in matref. honestæ conditionis ac bonæ aliàs indolis hæc ratio exercendæ potestatis forsan ex fribusculo litis intervenientis profecta, durior minusque ingenua sicque non omnino consulta videatur, juxta tradita *Matth. Bernegg. quest. Miscell. in Tacit. Germaniam 105.*

§. 19. Quin-

§. 19. Quinimò nequidem ipsa pœna, quâ uxor dote vel ejus parte propter morum pravitatem multabatur ex judicio morum juxta §. 15. hodie abrogata est, ob eandem quæ allata est §. 13. & 14. supervacuitatis rationem: nempe quia eadem pœna retinendæ dotis unâ cum dissolutione matrimonii ex iisdem legibus obtineri potuit, nec alio judicio opus fuit, per *l. un. §. 5. C. de rei ux. act.* quæ ratio verò sublato hæctenus divortio jam cessat; *arg. à cessat. caus. ad cessat. effect. topicè ducto.*

§. 20. Et sic ratione juris accurate inita nec ipsa quidem pœna retinendæ dotis olim ex judicio morum vindicatæ *d. l. pen. in fin. C. de repud. & l. un. §. 5. C. de rei ux. act.* cum judicio morum sublato abrogata esse nobis videtur: cum enim ex iisdem causis depravatorum morum simul copulativè & matrimonium dissolvi & dotis portio retineri potuerit *d. l. pen. §. 1.* ac illud tantum, non hoc sublatum sit, atque sic sola dissolutio matrimonii ex illis causis cesset, non autem retentio dotis inhibita lege illa appareat, nil obstat, quominus ea adhuc obtineat & vim maximam disciplinæ maritalis quodammodo exerceat, juxta vulgatum illud: quod abrogatum non est cur stare prohibeatur *l. 27. pr. C. de Testam. l. 32. §. ult. C. de appellat.* id quod ex suprascriptis §. 14. satis firmatur. Qua de re pluribus videri potest *Dn. Herm. Hoffmann, Consiliarius Brandeb. Baruthi, in suo Lycurgo Romano-German. Octaviani Pisani c. 9. n. 20. & seqq.* Tractari insuper hic quoque posset, quibus juris remediis quoque adigere maritus uxorem possit, ad præstanda ea, quæ sui sunt officii, nec non de cura ejus legitima in uxorem, quæ plurimum locorum moribus præsertim juris Saxonici introducta est; verum excedunt ea terminos jurisdictionis nostræ privatæ.

## MEMBRUM IV.

### De Judicio morum quod Paterf. exercet in filios, servos & famulos mercenarios.

§. 21. **H**Oc judicium jam antea vi competentis potestatis plus satis naturali ac gentium jure informatum *l. 2. de 7. & 7. l. pen. C. de adopt. Aristot. l. 1. Politic. c. 8. Arniseus l. 1. relect. politic. c. 4. sect. 1. Bachov.*

Bachov. ad §. 2. 7. de patr. potest. Dn. Pufendorff. de jure nat. & gent. l. 6. c. 2. & jure civili firmatum §. 2. 7. de patr. potest. Ulp. in fragm. tit. 10. pr. Dn. Tabor in Element. jurispr. p. 1. 15. 1. n. 20. aperte indicatur in l. 4. C. de patr. potest. ubi dicitur; congruentius quidem videtur intra domum, inter te ac filios tuos, si quæ controversiæ oriuntur, terminari &c. Patrens igitur hac ratione ipse iudex constituitur in controversiis domesticis liberorum ipsique determinandæ illæ relinquuntur. Et in l. 3. C. eod. patri rescribitur: filium, si pietatem patri debitam non agnoscit, castigare jure patriæ potestatis non prohiberis. Et in l. un. C. de emend. lib. verb. jure patrio corrigat erratum & privata animadversione compescat. Nec non in l. 16. de furt. dicitur de jure, quod pater habet in filium furem: neque enim pater, qui potest in furem (filium) statuere, necesse habet adversus furem litigare, ubi vox statuendi innuit potestatem aliquam jus dicendi, cui congruit dispositio Juris Canonici. 36. XXIII, q. 5. ita ut Turnus ap. Livium l. 1. c. 50. recte dicat: nullam esse brevioris cognitionem quàm inter patrem & filium paucisque verbis transigi posse ni pareat patri, habiturum infortunium esse. Atque hoc iudicium morum domesticum eò illustrius exit in patre illustri juris super eminentis capace ex lege subordinationis filialis, ac territorialis arg. auth. qua in provincia. C. ubi de criminib. & traditor. Gaul. de pignoration. c. 4. Matth. Stephani de jurisd. l. 1. c. 1. n. 77. Bodin. l. 1. de Rep. c. 6. n. 65. Illustris Dn. Cancellarii Schütz junioris p. m. in Collegio Miss. juris publici l. 2. t. 8. posit. 2. quicquid non nullus Gamologus contra velit: cujus & sequacium tela jam prævisa peculii vice, (juxta Juretum ad Symmach. l. 2. Epist. 74.) excipere non pigrabimur. Hujus autem paterni iudicii severius vel remissius exerciti exempla annotavit Valer. Maxim. l. 5. c. 8. & 9. ubi Dn. Rupertus in Commentar. & pluribus Dn. Pufendorf. sæpe laudato jur. nat. & gen. tract. l. 6. c. 2. §. 11. unde iudicium illud usu non minus quàm Jure Civili quoque merum vitæ ac necis imperium domesticum in se continuisse ex l. 11. de lib. & posth. l. ult. C. de patr. potest. constat. Quod iudicium verò morale patrium vitæ necisque, an l. 3. & 4. C. d. t. optimo exemplo (uti quidem, forsan intuitu genii seculi illius veteris, ac religione juris Justinianæi, vult Dn. Ludovell disp. ad Inst. 2. th. 1. lit. e.) patribus sit ademptum, aut annon meliore ratione iisdem hoc nostro ulceroso seculo, & tanta morum improbitate ad exemplum Imp. Ludovici Bavari istud Norimbergensibus A. C. 1310. in filios ἀκολάστως per speciale privilegium, (de quo Linnæus l. 7. 7. P. c. 37. num. 13.) quasi postliminio concedentis, foret restitutum

stituendum occasione egregie traditorum *Joh. Bodini l. 1. de Rep. c. 4.* & *Francisci Connani l. 2. Comment. jur. civil. c. 13.* subdubitemus, hancque sententiam affirmativam, licet de restitutione universali ob genium hujus mundi desperantes, ex inconcussis rationibus judicii nostri morum legalibus, politicis & œconomicis, itidem corollarii loco defendemus.

§. 22. Igitur juxta juris usum in levioribus moderata tantum potestas coercendi patri conceditur *d. l. 11. §. 1. verb. si vitiora d. l. un. C. de emend. propinq. verb. si atrocitas facti jus domestica emendationis excedat. l. 3. C. de patr. pot. verb. acriore remedio* &c. atque in gravioribus quoque correctio ac castigatio, quantum equidem commodè fieri potest, domestica in pietate potius quàm atrocitate consistit *per l. 5. ad l. Pompej. de parr. l. 7. §. 3. de injuriis.* severiore animadversione publico judicio remissa, ita ut in nimium sapiens pro religione Judicis statuatur *l. 13. §. 4. Locat. l. 5. §. ult. & l. 6. ad L. Aquil.*

§. 23. Illud tamen singulare est in filiis. quod etiam in gravioribus delictis publicis Judici oblatione facta, pater ipse olim pœnam determinare poterat sic oblatis, eamque Judex pronunciando sequi tenebatur *per l. fin. C. de patr. pot. ubi Dn. Brunemannus,* concordante jure divino *Deuteron. c. 21. vers. 18.* juxta mentem & explicationem *Bodini supra citato libr. 1. cap. 6. de Rep.* quamvis severitate publicorum judiciorum hodierna jamdudum ab hoc jure sit discessum, & sic quodammodo hac in parte juri paterno non parum derogatum; sicuti nec aliis, in quibus naturalis ille motus & *sogyn* cessat, etsi forte illis non minor potestas sit vel affectio, idem juris attribuitur, uti videre est *ex l. 20. 21. 22. §. ult. ad L. Jul. de adult.* ubi patri quidem filiam in adultério deprehensam, non verò marito uxorem omnino impune occidere datur, ratione differentiae itidem non ineleganti allata.

§. 24. Quamvis autem huc non spectet jus illud, quo pater filium, quem in potestate habet, olim extremâ famis filialis (non paternæ) necessitate sub perpetuo revulsionis pacto tacito vendere potuit *l. fin. C. de patrib. qui fil. distr.* utpote non ex judicio aliquo & coercitione morum, sed ex veteri jure Quiritium competentis vindicationis proveniens, & non nisi ad liberos adhuc sanguinolentos *i. e.* à primo matris partu adhuc dum rubentes, non alios jam majoris ætatis spectans, quod moribus aliorum quoque gentium consonum monstrat *Dn. Pufend. sepe dict. tr. l. 6. c. 2. §. 9.* magis tamen & non omnino extra oleas trahi huc potest simile jus patrum ad retrahendos vindicatione vel repetendos officio judicis intra terminum præscriptionis le-

galis liberos illos, qui improbo more ac facto, saltem cupiditate lucrū participandi seipso in servitutem (quod jure quidem facere posse videtur arg. §. 4. *f. de f. Personar.*) temere vendunt, per *l. 5. §. 11. de statu homin.* ratione pro hac sententia ducta, 1. ab illegalitate hujus conventionis *l. 37. de liberali causa*, quam pœnarum adjectione invalidari potius quàm validari oportebat arg. à contrario ducto ex *l. 4. quib. ad libert. proclamare non datur.* 2. à jure patriæ potestatis summo, inter cujus tollendæ modos venditio sui ipsius filiif. jure non recensetur. 3. quod quæ alicujus propria sunt, sive res, sive personæ, sine ejus facto abire nequeant. *l. 11. de R. f. quibus fundamentis* procul dubio quoque Imp. Orientis Leo ductus in sua *Nov. 59. ubi pulchrè Gothofredus in notis*, venditionem hanc filiif. sui ipsius, ut improbam sustulit, quam in rem videri etiam possunt *notæ Hieronymi Bignonii in veteres formulas junctas Marculfi Monachi c. 10.* Et hanc sententiam nostram hic firmatam calculo suo probant *Bachov. in not. ad Tr. vol. 1. disp. 2. th. 3. lit. B. Arnoldus Rath/ & Dn. Vinnius in Commentariis suis Mss. & impressis; atque Generosus Dn. Francisc. Fridericus ab Andler S. C. M. Consiliarius Imperialis Aulicus in medulla juris ad Instit. §. 4. de jure personarum, ac Nobilissimus & Consultissimus Dn. Præses Præceptor atque Fautor perpetim Colendus in enarratione tit. f. quib. mod. jus patr. potest. tollatur; quicquid etiam communis Dd. Scholla cum Portio & Dn. Ludovello disp. ad Instit. 1. th. 17. lit. c. in contrarium sentiat; hæcque juris prohibitivi ac vindicativi ratio etiamnum hodie obtinet in delectu militari filiorumf. improbis legentium technis contra parentum voluntatem seductorum, uti videre est in corpore juris militaris collecto ex diversis hanc in rem publicatis edictis præsertim sub pag. 464. num. 11.* At quid si liberi sacræ militiæ sese invitis patribus mancipient monasterium ingressi monachali subornatione atque suafu? Respondemus jure seculi idem jus retractus manere patribus ex rationibus supra traditis, & quod sine lege contrarium inferre erubescamus *Nov. 18. c. 5. cum Dn. Tabore in not. Mss. ad l. 35. C. de Episc. & Cler. ac Ludovello Disp. ad Inst. 2. th. 10. lit. B. frustra cum canonistis arg. c. ult. de judicis in b. dissentiente Pinello ad l. 1. C. de bon. matern. p. 1. n. 45. 46. Bachov. ad Tr. v. 1. d. 2. th. fin. lit. D.*

§. 25. Judicium verò hoc morum pater tantum habet in liberos potestati subjectos, non verò in emancipatos, quia coërcitio hæc patri competit jure patriæ potestatis *d. l. 3. C. de patr. pot.* quæ emancipatione tollitur. Quin tamen extra ordinem aliqua coërcitio in emancipatos quoque suo modo competat, indubitatum, per *l. 7. §. 3. de Injur.* quia naturaliter pater esse non desinit, & quidem si non

non jure patris saltem jure cognationis, in qua ipse semper est senior per *l. un. C. de emend. propinq.* de quo amplius *membro 5.* Quod si emancipatus quoque adhuc pupillus sit, pater coercitionem habet jure tutoris: nam & tutor, instar patris regendis pupilli moribus, non verò ut curator, bonis tantum administrandis præfectus censetur. *l. 2. l. 13. l. 14. de Test. tut. §. 2. §. de Curat. l. 12. §. 3. de admin. & peric. tutor.*

§. 26. Quodque juris patri in liberos circa morum judicium, idem & domino, fortiusque olim in servos ac ancillas, remissus autem hodiè in famulos mercenarios competit. Olim quidem argumento à majori potestate vitæ necisque ad minorem ducto sed postea restricto, vel à paritate juris & rationis inducendo per *l. ult. C. an servus pro suo facto.* hisce verbis: *domi eum conveni;* ubi conventio (quæ vox, ut supra dictum, denotat actum intentandi judicii) domestica, opponitur conventioni, quæ fit coram Præside. Et in *l. 6. §. ult. ad SC. Silian.* ubi denegatur judicium, si dominus vivat, addita ratione: ipse enim in familiam suam potest animadvertere, conf. *l. 2. de his qui sui vel al. jur.* idemque in specie de mercenario dicitur in *l. 11. §. 1. de Pœn. Gloss. in c. 39. VII. q. 1.* ad cujus juris veteris ac hodierni enucleationem egregia adfert *Joh. Hermannus Stamm tr. de servitut. person. l. 2. c. 4. & Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. exerc. 3. th. 32.* ita tamen illa potestas dominica, multò quidem constitutionibus Principum mansuetior effecta *l. 1. §. ult. l. 2. de his qui sui.* adhuc tamen atrocitate sua constans per *l. un. C. de Emend. serv.* hodiè in famulis mercenariis obtinet, si moderatio debita adhibeatur: servilia autem verbera & atrociora alia non æquè procedunt, quippe non nisi servis convenientia, qui instar pecudum & pro nullis jure civ. erant, per *l. 1. §. 1. de his qui sunt sui vel alieni juris. l. 1. §. 2. unde cogn. l. quod attinet. 32. de R. §. l. 1. pr. de jur. deliber. l. 59. §. 2. de condit. & demonstr.* Adhiberi quidem hic quoque possent actiones utiles de servo corrupto, de fugitivis &c. sed eæ non sunt præsentis instituti, verùm unà cum aliis imperio morum reservandæ.

§. 27. Cæterum, quæ de mercenariis dicta sunt, obtinent etiam in aliorum præfectorum ac præpositorum, uti Abbatum, (de quorum in claustralium & monachorum mores potestate vid. *Pauli Matthie Wehneri Consil. Franconic. 24.*) Pæ-

Pædagogorum, artificum & opificum curæ ac disciplinæ commif-  
 sis: quorum moderata morum dijudicatio jure quidem permiffa,  
 nimia verò sævitia in castigando vetita, *t. t. extra. de excessib. pra-*  
*lator. l. 5. §. ult. l. 6. ad L. Aquil. l. 13. §. 4. Locat. ubi exemplum su-*  
 toris, qui formâ calcei aded cervicem discipuli percussit, ut ei  
 oculus effunderetur, id quod de excessu percussionis exaudiendum,  
 non ipsa percussione, quamvis omninò modus ille Orbiliorum  
 cædus displiceat *Quintil. 1. Inst. c. 3.* ubi tradit: Cædi verò di-  
 scentes, quanquam & receptum sit & Chrysippus non improbet,  
 minimè velim: primum quia deforme atque servile est, & certè  
 si ætatem spectes, injuria; deinde quod si cui tam est mens illibera-  
 lis, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pes-  
 sima quæque mancipia durabitur: postremò quod ne opus qui-  
 dem erit hac castigatione, si assiduus studiorum exactor adstite-  
 rit. Id quod cum grano salis juxta debitum, sed vitio seculi  
 haut satis in universum notum ingeniorum delectum, sumtum,  
 verissimum, ac liberioris cultus Gentibus majori cura, quam Ger-  
 manis nostris aliquanto strictioris observantiæ hætenus excultum,  
 notavit *Anglia Sidus, Cancellarius Baco Verulamius, in suo de Au-*  
*gmentis scientiarum, aureo libro.*

## MEMBRUM V.

De Judicio morum, quod senio-  
 ribus familiæ vel cognationis  
 competit.

§. 28. **N**obile quoque est illud morum judicium quod cognatio-  
 ni, vel qui eam repræsentat Seniori, ac familiæ quasi  
 Principi in sanguine junctos competit, quod vel ad imploratio-  
 nem ipsius patris, vel separatim quoque in defectu disciplinæ &  
 curæ paternæ aut alterius debitæ instituebatur, uti constat ex  
*Valer. Maxim. l. 5. c. 8. §. 2. 3. 5. & Seneca de Clementia l. 5. c. 15.*  
 ac *l. un. C. de Emend. propinq.* idque legali ratione iisdemque ju-  
 ris ac temperamenti regulis consistit, quibus & pleræque species  
 reliquæ: sc. in levioribus intra terminos moderatæ ac domesticæ  
 emendationis, in gravioribus autem in delatione judiciali puni-  
 tiva *d. l. un.* cujus hæc notabilis sanctio est: Neque nos in pu-  
 niendis



niendis minorum vitiis potestatem in immensum extendi volumus, sed jure patrio autoritas seniorum corrigat erratum propinqui juvenis, & privata animadversione compescat. Quod si atrocitas facti jus domesticæ emendationis excedat, placet enormis delicti reos dedi Judicium notioni. Additur ratio: ut quos ad vitæ decora domesticæ laudis exempla non provocant, saltem correctionis medicina compellat.

§. 29. Competit autem hoc jus seniorum regulariter quidem non in omnes cognatos sed in minores tantum, quorum mores adhuc rudiores sunt propter lubricum ætatis. *d. l. un. voc. minoribus*, quâ voce, ut aliàs intelliguntur minores 25. annis, & quidem illi, qui non sunt in potestate patria, inter est, Laicus sit an Clericus, juxta tradita *Dn. Perezii in d. l. un. n. 3.* Attamen majorenes, quoque interdum ob judicii defectum vel abusum, huic propinquorum curæ subjecti sunt, uti mente capti, furiosi, prodigi *arg. t. t. ff. de curat. furios. dand.* Concordante hac in re *jure statutorio Electorali Palatino part. 2. t. 28. §. 1. ibi*: Daß deren Weiber / Gesipten und Freunde / (denen an solcher Verschwendung andrer / fürnemlich aber auch dieser Ursache halber gelegen / daß ihnen solches zu Verkleinerung &c. gezeiget.

§. 30. Videtur quidem hoc idem jus emendandi mores juxta Canones vicino & cuilibet etiam proximo competere in vicinum & proximum per *c. 36. XXIII. q. 5.* verum cum illud de nuda admonitione Christiana, non de coercitione contentiosa exaudiendum, atque sic interni magis quam externi fori sit, ut frater fratrem, amicus amicum privatim corripiat, juxta monitum *D. Augustini Epist. 61. ad Aurelium*, id non est præsentis disquisitionis sed una cum aliis supra traditismagis ad affinia judicii morum pertinet, è quorum numero brevitatis studio nunc non nisi unicum sequenti membro agmen hujus disquisitionis claudat.

## MEMBRUM VI.

### De Judicio Zeli.

§ 31. **C**um ergo hætenus domesticis præprimis corrigendis moribus domesticum judicium formaverimus, pateat colophonis

loco in conscientia sacra & adyta quoque paulisper hic aditus, ut appareat, an in sacri & divini etiam cultus, religionis ac conscientia moribus privato aliquid licitum sit nec ne? Sciendum itaque & hic iudicium aliquod privatum nempe zeli ex lege Veteris Testamenti ac sententia saniorum Hebraeorum formari atque exerceri posse, quo quis privatus atrocissimi alicujus facti idololatrici aut alias execrandi praesenti detestatione, ejusque vindicandi zelo incensus delinquentem ab opprobrio publico avertere & punire valet etiam alium occidendo: exemplo *Matathiae & Phineae filii Eleazaris*, qui zambri scortatorem idololatricum divini honoris zelo una cum scorto occiderat. *1. Macc. 2. vers. 24. Num. 15. vers. 7. & seqq. Grot. 2. de J. B. & P. c. 10. §. 9. ibique Dn. Osiander in annotat. Selden. de Jur. nat. 14. c. 4.* qui tamen id fieri debuisse ait praesentibus decem ad minimum Israelitis. Quamvis hanc sententiam improbet & ex Rabbinorum tantum interpretamentis parum defecatis ortum traxisse non satis idoneis, ut videtur, modis, velit *Dn. Ziegler, ad Grot. d. c. 20. §. 9. in fin.*

§. 32. Nobis autem ita circa hanc rem consideratione juris nostri statuendum videtur, privatum tali casu per se quidem jus occidendi obtentu zeli ulla lege aut ratione non habuisse, cum nulla in re periculosius peccari possit, quam si impunè offendendi vel occidendi licentia praetextu religionis zelve intempestivo fortè furori atque superstiosae saepius insaniae plebis deferatur: uti apparet exemplo Christianorum Alexandrinorum, qui importuno religiosi fervoris impetu Hypatiam, foeminam doctam & Philosophicam, atrociter mactarunt. *Hist. Eccl. trip. lib. 2. c. 12.* quo facit, quod fanatici etiam, & sceleratissimi, quique saepe hunc zelum sibi arrogarint, cum *Beneventano illo, & Clemente, monacho Jacobino, Job. Castello & Ravailaco Henricorum VII. Lucelburgensis, Caesaris, III. & IV. Galliae Regum Assasinis*; quod si tamen casu sic ferente quis pra indignatione publica & ad tutamen alicujus personae vel honoris in extremo rei discrimine versantis sine parata aliena ope tale quid in privatum perpetret, praesertim unus ex offensoris praepositis, cuive cura talium incumbit, satisque appareat, pio ferventique divini honoris zelo in praesenti quodam atrocique facinore, quod contra divini Numinis reverentiam committitur, id fecisse, v. g. cum quis ad liberationem vi stuprandae vel adulterandae foeminae honestae, cognatae, a violento invasore mortem aut opprobrium sica intentante, procedens, eundem graviter vulnerando repellat, aut planè occidat, vel aliter abominatione facti

in

in locum commissi vel adstantes complices sciviat, quale quid olim veteri quoque Jure Saxonico quandoque licuisse videre est ap. *Dn. Carpzovium Practicorum seculi nostri Aquilam p. 2. criminal. quest. 75. n. 7.* cui jungi possunt tradita *Petri Gregorii Tolosani lib. 13. de Rep. c. 6.* & *Joh. Bochii in observat. edecummatas ad Psalm. 105. n. 30. lit. G.* non quidem factum id omnino justum erit, attamen excusationem merebitur, & remittetur aut mitigabitur poena, quia dolus & malitia abfuit; eadem ratione, quam ira seu calor iracundiae, justus dolor vel alia causa movens, etiam fatua aut bestialis à dolo in aliis saepe delictis excusant. *l. 1. §. 5. ad SC. Turp. l. 2. C. de reb. cred.* quam ratione marito quoque adulterum uxoris suae occidenti nonnullis saltim casibus ignoscitur *l. 24. pr. de adult.* quod ulterius extenditur in *Nov. 117. c. ult.* licet occidendi jus non habeat, *arg. l. 20. de adult.* Et huc forsan non incongruè referetur jus illud maritale quoad vindicationem adulterii illati, quod vocatur *das Enfer-Recht* de quo *Besold.* & *Dn. Speidelius in Thesouro & Speculo Practico*, voc *Enfer-Recht und Enfer-Bericht*/ ibidemque citati. Patri autem ex hoc zeli judicio domi suae vel in generi adibus adulterum in actu criminoso, non verò alibi cum filia deprehensum occidere, impune habetur *l. 23. §. 2. 3. 4. eod.* Et huc referenda exempla zeli apud *Fl. Joseph. A. 7. l. 4. c. 12. l. 12. c. 8.* & alios. In factis verò Phineae & Matathiae singulare quid occurrit, quia & ille erat designatus summi sacerdotii hæres atq; successor, & hic sacerdos, quibus in vindicando cultu divino tunc magna imò ferè summa autoritas fuit, uti benè annotavit *Dn. Osland. loc. supr. alleg. Grotii.* Huctamen Stoico ausu cum *Seneca* & *J. Lipsio in sua Philosophia Stoica* trahere vel *λεῖψοξερπίαν* nonnullorum ex zelo publico aut privato, judicio profano & domestico exercitam, hoc esset vel omni sanæ rationi exilium indicere, aut cum illa æviterno perditionis malo insanire, à quo post saniores etiam Ethnicos probi Christiani merito abhorrent lubentius expectantes tandem erecto animo æternum omnium Mundi morum, horarum ac morarum humanarum sine præfinito die & Consule infallibiliter adventurum **JUDICEM ac RERUM**

**F I N E M ,**

Cui

**Laus & Gloria in Ævum!**

Primus



**P**rimus qui fasces, Geiere, penatibus infers,  
 Judiciique doces æmula jura patres,  
 Non adiuſſe Deos; modicos ſubiſſe penates,  
 Atque his cura fuit jura dedifſe prior;  
 Nempe per inſolitos tentas veſtigia calles,  
 Et, quæ nulla fuit, ſemita trita tibi eſt.  
 Quam premis, hanc inſiſte viam, quæ digna rependit  
 Præmia, quæ patrii pandit Honoris iter.

*Ita auſpicatiſſimis Nobiliſſimi Dn. Autoris  
 ſtudiis applaudis*

Præſes.



**J**udicium morum perdoctæ ſiſtis arenæ,  
 GEIERE, Aonidum gloria prima Chori.  
 Judicium indicium eſt *mores* TE jungere Muſis,  
 Proficis inde magis, deficis ergo minus.  
 Sic Magni PATRIS mores imitaris & Artes:  
 Judico Judicium nobile id eſſe TVVM:

MAXIMI ICTI & CONSILIARII ELECTO-  
 RALIS GRAVISS. PATRONI OPTIMI  
 FILIO FNHCIO,  
 AD VIRTUTEM  
 STRENVÆ GRASSANTI  
 adplauderam

GEORGIUS FRANCUS  
 Med. & Phil. D. P. P.

*Ars*





**A**Rs est præclaras artes proponere clare,  
 Virtus, virtutes dicere, quisquis ait.  
 Sed magis est virtus, virtutes addere dictis,  
 Tu sane felix, utraque dum facias.

Ob familiaritatem jam diu habitam  
 hæcce apposuit Nobilissimo Do-  
 mino Respondenti.

DANIEL Bscherer / Med. St.



**L**Audamus Veteres dum, nostris utimur annis,  
 ast  
 \* Moribus antiquis res stat Romana virisque. \* Ita Lipsius

Es hat der weise Mann mit Grund der Alten Sitten  
 Und Mannschafft hochgerühm't / auff welchen ist gestanden  
 Die Stütz des Regiments / drum wol dem der bey handen  
 Gleich DZK den Ruhm behält / und in des Landes Mitten  
 Mein Bruder / setze diß Rechte / worauff DEIN Fleiß ges  
 kommen.

Ich wünsche DZK viel Gut's / die Sitten wollen glücken /  
 Und guten Fortgang nun DZK bey der Themis schicken /  
 Damit DV Sittlich werd' st in Ihre Zunfft genommen.

Eilend / doch zu Brüderlichen Glückwunsch  
 treu-meinend gesetzt

von  
 Johann Daniel Gehern /  
 Phil. & Med. St.

**D** **Wie**



Se 18

Wozu will der Geyer dann dem Adler sich ver-  
gleichen

Bis an des Phoebus Zelt mit seinem Sittig reichen  
Ein Kuckuk singet nie wie eine Nachtigall /  
Der Dieb'sche Raab kan nichts als seinen Mor-  
gen-Schall.

Ein selzames Gemerk! Herz G E N E R wird sich  
schwingen

Zur Weißheit heil'gen Sitz / und Eifer-fleißig ringen /  
Daß Er vergrößere des Vatters Namen-  
Glanz /

Und werde gleich Gesitt / zur Tugend Ehrens-  
Kranz.

Diese wenige Ehren-Zeilen übersezte seinem  
treuen Bruder und Freund mit fliehs-  
ender Feder

Der Aufrichtige

J. G. S.  
1750



*Tristitia cum Divinitus adom' 97*





Kd 2246

ULB Halle  
002 800 578

3




5b.

M. S. VD 17







Farbkarte #13

B.I.G.

CO. NOMICA 35  
*vilis Furis nixa*

CIO  
M,

DIO  
I, CONSULTISSIMI  
COCCEJI,  
FEUDALIS JURIS IN  
A UNIVERSITATE PRO.  
T INDUSTRIÆ MERITO  
S AC FAUTORIS SUI  
OLENDI,

examinationi  
Solitis

*5 Aprilis,*

RUS GEIER, Rt.

pondens.

*nstit. 12. in fin.*

MORBUS Regnum, ut,  
, faciant & bona.

ERGÆ,

ONII, Acad, Typograph.  
C LXXIX,

